

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

IIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Joannes Benedictus, Regis Poloniae Sigism. Physicus.

Cracoviâ, quarto Februar. 1532. Erasmo.

Magister Joannes Glogoviensis, olim Universitatis nostrae decus, ante quadraginta annos publicè in hæc verba prorupit: Veniet Monachus niger, qui turbabit Ecclesiam: & nostri Wratislavientes erunt pejores quam Pragenfes. Quod factum esse, proh dolor! nemo non videt.



IIX.

S. P. D. Erasme, doctorum doctissime. Hodie cum prolixioribus tuis gratissimis literis ego quoque prolixius respondi, supervenit amanuensis tuus, Livinus Panagathus, qui mihi abs te gratissimum cum literis tuis reddidit munusculum, Xenophontis scilicet Tyrannum, meo dicatum nomini, pro quo erga me officio ingentes tibi ago & habeo meritas gratias, & eo nomine potissimum, quod tu mihi sponte præstiteris, quod postulare ego abs te sine rubore vix ausus fueram: agnosco igitur lubens hoc tuum studium atque exosculor, quod quia sponte fuerit à te profectum, magis gratum extitit. Libelli vero isti tui ut à limine conspecti sunt, valde mihi probantur, nihil enim ex tua officina proficisci potest, quod laude careat, aut improbari possit: & iccirco plane illos beatos dijudico, quos egregia tua Musa posteritati commendavit, nullo unquam tempore intermorturos.

De rebus autem nostratibus hodie altera hac epistolâ satis abunde te certior reddidimus, nihil præterea novi occurrit, nisi quod Cæsarem ad crastinum diem Tridentum venturum ferant. Inde mox Brixinam, ubi per hos sacros dies ad Paschalem usque celebritatem permanens esse dicitur, quando autem huc Augustam sit venturus, adhuc incertum est. Res Italicæ satis pacatæ esse feruntur, nisi quod Florentini obsidione adhuc cincti extrema, cuncta prius subire statuerunt, quam conceptam animo & persuasam libertatem relinquere. Hæc, mi Erasme, sunt, quæ prioribus meis literis adjungere visum mihi est. Valere te nobis & Musis pleno voto optamus. CHRISTUS te incolumen quam diutissimè conservet, amice charissime. Data Augustæ Vindelicorum, septimo Idus Aprilis, M D XXX.

thus.

Antonius Fugger.

LX.